DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

DE

FEBRE GASTRICA PVTRIDA

CONSENSV ILLVSTRIS ORDINIS MEDICI

PRO

SVMMIS IN MEDICINA ET CHIRVRGIA

OBTINENDIS HONORIBVS

ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR

CAROLVS FRIDERICVS BORN,

BRANDENBVRGENSIS

IN NOSCOMIO PAVPERVM PETROPOLITANO CHIRVRGIAE

ET MEDICINAE PRACTICVS.

DIE XXX DECEMBRIS ANNI MDCCLXXXIV.

GOTTINGAE,

LITTERIS IO. CHRIST. DIEDERICH.

ACAD. TYPOGRAPH.

COLLEGII MEDICORVM

IMPERIALIS RVSSICI

PRAESIDI ILLVSTRISSIMO

MEMBRIS PRAENOBILISSIMIS

DOCTISSIMIS

EXPERIENTISSIMIS

§. 1.

NOMENCLATVRA.

Febris, quae hic et alibi cognomen mox a putredine, mox a bile habet, eſt mere gaſtrica; nempe cuius fomes in omni ſyſtemate chylopoietico diſſeminatus haeret, id eſt, in omnibus intra peritonaeum contentis viſceribus. Ea propter minus bene a quibusdam febris inteſtinalis, meſenterica, etc. nominatur, hae enim denominationes partem aliquam ſolummodo indigitant, qua pars materiae febrilis, non vero omnis continetur. Nec eorum denominatio arridet mihi, qui eam biliofam, putridam, vel et malignam dixerunt; nam fomes febrilis non ſemper vnius et eiusdem indolis, nec mere bilioſus nec mere putridus, ſed mixtus eſt, ſaepe et lentor pituitoſus obuenit. Attamen, quia bilis hic ſemper fere et qualitate et quantitate peccat, aliquo iure bilioſa dici poſſet. At clare patet, nomen genericum conſtans, huic morbo a materia inconſtante deſumptum non conuenire, ſed ab ea cognomen tantum ſpeciale deduci poſſe. Tantum enim abeſt, vt ſaburra primas vias inquinans ſemper putrida ſit, quin variet ſecundum diſpoſitionem aegri et cauſſas admiſſas; frequentiſſime eſt bilioſa, praeprimis in cholericis et poſt iram; alias eſt cruda et indigeſta, a nimia voracitate indigeſtibilium, vel a debilitate organorum digeſtioni inſeruientium oriunda; interdum lentor in primis viis ſtabulatur, inprimis Hypochondriacorum, quorum debilis ventriculus munere ſuo rite fungi nequit. Tandem adeſt interdum materia catarrhalis acris, a tranſpiratione ſuppreſſa ſuborta adque primas vias delata. Omnes hae materiae in noſtro morbo plus minusue mixtae quandoque obueniunt, vnde ex iis nomen conueniens difficilius eruendum, facilius vero ex locis materias iſtas continentibus, id eſt ex toto ſyſtemate gaſtrico, quod

omnia

omnia viſcera, quae deglutioni, digeſtioni, chylificationi, excrementisque excernendis inſeruiunt, continet. Quare equidem *Ballonio* aſſentior, qui primus, niſi fallor, febrem ex quacunque ſaburra primarum viarum oriundam, gaſtricam (a γαςὴρ, venter) appellauit. Medicum autem obſeruantem morbum determinare oportet, ſecundum materiae febrilis indolem praecipuam, et indagare, an haec febris gaſtrica potiſſimum ſit biliofa, putrida, pituitoſa, catarrhalis, vel et rheumatica, et hac ratione eam dicet febrem gaſtricam bilioſam, pituitoſo-bilioſam, bilioſo-putridam, ſiue febrem gaſtricam rheumaticam, quam alii rheumatiſmum bilioſum adpellant. Porro, ſi febris gaſtrica quaecunque, ſtatim a principio aegri vires profligat, vt nullis remediis refocillantibus cardiacis reſtitui poſſint, tum maligna adpellari ſolet, quae vt plurimum quoque eſt putrida, et vbi non eſt, tamen cito fit.

§. 2.

CAVSSAE.

Cauſſae remotae tot tantaeque ſunt, vt, ſi omnes recenſere vellem, vix opus abſolverem. Quare eas tantum, quae hic potiſſimum obueniunt, adducere placet.

a) *Clima ſiue Temperies Coeli.* Hanc primum fere locum ſibi conciliare nullus dubitabit, qui perpenderit, nonſolum omnes fere aduenas, ſed etiam multos incolas cuiuslibet aetatis et ſexus ab eadem corripi.

Tempeſtas enim hic locorum adeo inconſtans eſt, vt interdum vno eodemque die veſtimenta aliquoties mutare neceſſe ſit; excipientibus diem, quam maxime ſerenum et calidum, veſpera et nocte adeo frigidis, praeſertim vernali et autum-

nali

nali tempore, vt aquae ſuper ficies, glacie ad pollicis latitudinem craſſa obducatur; quid? quod per totam fere aeſtatem, non tantum noctes, ſed etiam dies, mutatis ventis, mox frigidae, mox calidae alternent.

b) *Solum terrae vliginoſum*, (ſic vt fundamenta aedificiorum non niſi arborum cruribus in profundum limum poſitis ſuſtineri queant) multum huic febri fauet, qua propter putei quoque non effodiuntur, et aqua ad victum neceſſaria e fluuiis petitur. Paludes quoque, ſtagnante aqua, fimo aliisque vrbis purgamentis replètae, edunt vapores putridos, noxios, tranſpirationem occludentes, aërem et humores digerentes, inquinantes, quare et ſcorbutus frequens eſt. Sed huic malo canalibus exſtructis mox finis ſtatutus erit.

An poſt inundationem, quae ante ſeptem annos hic contigit haec febris ſueto frequentior fuerit, aliis, diutius me, heic morantibus diiudicandum trado. Id certum eſt, nullum anni tempus nec ſexum cuiuslibet aetatis ab eadem immunem eſſe. Puellas quasdam vndecim annos natas, tam grauiter ea laborare vidi, vt et parotides tumidae ſuperuenerint.

c) Splendida conuiuia, ob multiuarias dapes, quae procerum tabula offert, alliciunt palatum et ad iuſto largiorem paſtum inuitant, ſic vt hadusquam in re cibaria magis, quam hic norma excedatur.

Humilioris ſortis autem homines viſcidis vilibusque cibis veſcentes, diebus feſtis, praeſertim ieiuniis peractis, adeo genio ſuo, vt credunt, indulgent, vt paullo poſt multi horum febre gaſtrica laborantes noſodochium pauperum intrare coguntur. Voraces enim, vbi nimia ac digeſtu difficilia ingurgitaverunt,

verunt, praecordia grauata copia ſpirituoſorum potulentorum leuare ſtudent, quod interdum ſuccedit. Si vero ingeſta adeo indigeſta ſunt, vt iam corrupta ſint, et quaſi fermentent, a ſpiritu vehementior febris accenditur, quid? quod febrem hanc iam in decremento verſantem, ac tantum non curatam cremato ſpiritu frumenti clanculum hauſto, ita in peius ruere viderim, vt lingua antea puriſſima et humida, nunc nigreſceret, pulſus ſuppreſſus, reſpiratio anxia, difficilis euaderet, tormina et ſpaſmi abdominales orirentur, vireſque adeo profligatae eſſent, vt omnia mortem denunciare viderentur.

d) Contubernium nimis frequens inter cauſſas huius febris locum meretur. Nam idem cubiculum magna pauperum frequentia, immo interdum aliquot familiae inhabitant, eodemque res ad victum pertinentes adſeruant, panem et cibaria coquunt, veſtes linteaque madida ſiccant, quorum variae exhalationes, immodico fornacis calore auctae tranſpirationem et inhalationem mox immodice augent, mox perpeſſo refrigerio heic ineuitabili ſupprimunt; nec quisquam horum inſuetus, in huiusmodi cubiculo, ob aëris liberi inopiam paullulum morari ſine periculo poteſt.

e) Balnearia calida vulgo magnopere vſitata valde nocent. Fornaci ſumme exaeſtuanti, quo plures vapores edat, multam adfundunt aquam, ſic vt inſuetus fere ſuffocetur; plebi autem voluptati eſt, quae ſudore diffluens in frigidiſſimam aquam multamue niuem ſe confert, ſanitatem, vt ſperat, re ipſa autem morbum ſibi conciliatura, maxime vero febrem gaſtricam, quam non ſolum inde oriri, ſed etiam grauiter redire vidi.

 f) Quae

f) Quae cauſſae ſporadicae alibi, eaedem et hic hunc morbum excitant, quas, vt cuique notas recenſere nolo v. g. affectus animi iracundi, aër noſocomiorum ſimiliaque.

g) Cauſſas epidemicas ignotas atmoſphaerae his ſe ſociare, inde apparet, quod interdum angina, pleuritis, peripneumonia, aliaque inflammationis ſymptomata cum hac febre in connubio ſint, quamuis haud dici poſſit, partem nunc affectam in quolibet indiuiduo eſſe debiliorem, tunc enim eodem tempore ſymptomatum dictorum aliud in vno, aliud in altero obvenire deberet, verum obſeruatio contrarium docet. Parotides vero tumidae obueniunt in hac febre omni anni tempore maxime tamen vere et autumno.

§. 3.

DECVRSVS MORBI.

Prodromi ſunt, dolor capitis maior vel minor, languor virium, triſtitia, appetitus imminutus vel et ciborum faſtidium, lingua impura, alba vel flaua, tremula, ſapor amarus in ore, nauſea. Hoc eſt *primum ſtadium*, quod vomituritione ac vomitu ſpontaneo interdum adhuc euidentius inſtantis morbi progeniem indicat. At omnia haec aliquando deſiderantur, ſola laſſitudo et moroſitas adeſt, quae vero, quod a multis cauſis oriuntur ac ſua ſponte ſaepe ceſſant, medicum ad certam curandi methodum adſtringere non valent, nocet enim catharſis, nocet diaphoreſis, nocet et venae ſectio, ſi hic morbus ſubeſt.

Stadium ſecundum. Horripilatione vt plurimum valida incipiens, annunciat Febrem quidem, non vero indolem ipſius, omnes enim febres et acutae et intermittentes horrore ingruunt, quem calor ſubſequitur, vehementiae horroris re-

ſpon-

ſpondens. Tamen plerumque mox ſequentia obſeruantur, certiora morbi ſigna pathognomonica: febris cum lingua impura ſuperne dicta, ac ſi lenius proceſſit morbus, praeprimis ſicca hiulcata, nigra, aphthis obſeſſa, anima foetens, nauſeoſa, rubor genarum circumſcriptus, facies et albuginea oculorum ſubflauida, abdomen, praeprimis vero praecordia repleta, tenſa, ad attactum dolentia, qua propter aegri confundentes praecordia cum thorace, ſemper de pectoris dolore conqueruntur, nauſea, tormina, diarrhoea vel et obſtructio alui, ſumma inquietudo, anxietas, deliria, ſomnus plane nullus niſi in infantibus, tandem proſtratio virium omnes lectum petere cogit. Caput quoque valde infeſtatur, congeſtione humorum, ardore et dolore laborat, nec non vertigine, ſic vt nequidem erectum in lecto ſitum ſuſtineant, ſemperque horizontalem petant.

Nunquam defuit ſequens ſymptoma, niſi vbi febris iam per aliquot dies ſaeuiit. Dolor videlicet multorum artuum, interdum verus rheumatiſmus vniuerſalis, praecipue tamen manuum et pedum articuli. Mihi, cum hac febre laborabam, omnia membra adeo dolebant, vt nequidem ambulationem amicorum in cubiculo perferre poſſem, cumque quisquam me viſeret, ſalutandique ergo manum leuiter prehenderet, equidem acri clamore ſalutantem vehementer terrebam. Vsque huc incertus ſum, an hos dolores rheumaticis vel arthriticis adnumerare debeam; placet eas febriles appellare, quandoquidem febre ingraueſcente vehementiores, eadem decreſcente mitiores euadunt, nec vnquam niſi febre neglecta vel male tractata poſt illam remanent, tum vero per plures interdum annos, articulos arthritidis more infeſtant, ac ſaepe tunc demum ceſſant, ſi aeger de nouo acuta quadam febri praeſertim hac corripitur. Si vero aetate iam prouectus eſt iſtiusmodi aeger,

difficilius ſanatur, vel facile moritur, quod materia peccans arthritica nunc febre mobilis facta ſaepe ad pulmones tendere ſolet; quo in caſu catarrhus ſuffocatiuus vitae interdum ſubito finem infert. Porro ſpaſmi muſculorum abdominis praecipue in viris adſunt, ſic vt abdomen tabulae duritiem habeat, praecipue vere muſculi recti funis adinſtar contracti ſint.

Vrina ſaepe limoſa, iumentoſa, ſed ſaepe quoque varie colorata, vt nihil certi nec ex ſedimento, nec ex colore affirmare auſim. Diuerſitas eius a diuerſo morbi ſtadio ac gradu euenire videtur; arenulas ipſi ineſſe nondum vidi.

Parotides febri huic vehementiori praeprimis neglectae fere ſuperueniunt ſemper, nec tam malo vt plerumque creditur omine.

Diſcuſſio nihil periculi ſecum fert, dummodo indicationibus poſtea dicendis ſatisfeceris; nec eas, quamuis libeat, ad ſuppurationem perduces, quanquam ipſis veſicatoria impoſueris. Vna tantum vice parotidem pus concipere vidi; caries vero maxillae a parotide inducta, perfectam ſanationem ad aliquot menſium ſpatium protraxit. Exanthemata hanc febrem concomitantia multiformia ſunt, quae ſi ſecundum habitum externum deſcribere vellem, vix abſoluerem. Nec mirum, nam vbicumque obſtructiones et materiae acres in corpore latent, eaedem febre mobiles redduntur, partim ad cutem, partim ad alia organa excretoria deferuntur, partim abſceſſus et metaſtaſes procreant.

Puſtulae ſcabioſae et petechiae ſaepius quam alia exanthemata adſunt, nec non Eryſipelas, praecipue totius faciei et pedum.

§. 4.

§. 4.

TYPVS.

Hicce non multum docet, variat enim, quandoquidem interdum remiſſio fere nulla adeſt, ſi quando adeſt, incerto tempore, et rariſſime obſeruatur. Id certum eſt, aegrum ab initio horrore ſemel perſtringi, quem calor ſubſequitur vt plurimum vehementiae frigoris reſpondens, ac fere eodem gradu continuans. De nouo non ſuperuenit frigus, niſi vbi morbus ob vitium diaeteticum admiſſum de nouo affligit.

§. 5.

COMPLICATIONES QVAEDAM CVM CHRONICIS MORBIS.

Si quando laborantes *Gonorrhoea*, *Fluore albo* vtut inueteratis et virulentis in hanc febrem incidunt, ſtatim haec effluvia ceſſant, nec febre curata redeunt. Quid? quod et ipſum miaſma venereum et ſublatens in corpore et manifeſtum hac febre expellatur, ſic vt condylomata, vlcera, teſticuli venerei, dolores nocturni aliaque ſyphiliticae indolis mala ſponte ceſſent, aegri; vlteriorem medicaminum vſum, videlicet ſe prorſus ſanatos credentes, abnuant. Dum haec ſcribo, nemo, ob recidiuam luem veneream hac febre curatam, noſocomium noſtrum rurſus intrauit, quod eo magis admirandum, cum hoc malum hic pertinax ſit, et ob frigidam temperiem duplum temporis ſpatium, et triplam antiuenereorum copiam requirat, interdum ipſi ſaliuationi ſatis diu continuatae non cedat, mutatum quidem, ſed inſanabile remaneat, perfectaque cura non niſi per breue aeſtatis tempus ſuccedat.

Maniam, nec non melancholiam aliquoties hac febre plane curatam, interdum tantum mitigatam vidi.

Sed mania quoque ſaepe eſt ſequela huius febris male curatae vel neglectae; ſaepe apud nos huiusmodi delirantes ſine febre adueniunt, facile ſanantur reiterata emetocatharſi, arte ſiue natura ipſa concitata, poſtea et diaphoreſi cum veſicatoriis.

Vermes inteſtinales miro modo ſymptomata augent, praeſertim in ſexu ſequiori ſenſibiliori. Cum enim omni, quo febris adeſt, tempore, aegris a cibis abhorrentibus, vermibus ieiunia ferenda ſint, et praeterea a ſaburra putrida acri ipſis faſtidioſa illi turbentur, ad ventriculum vsque reptant, quem ſaepe inflammant; ſaepe aluo et vomitu excernuntur. Inflammationes, quas concitant, non facile tolli poſſunt; tum quod in praeſentiarum ad anthelmintica nequidem reſpici poſſit, tum quod ſaburra bilioſa acris primas vias inquinans ſua ſponte interdum inflammet inteſtina, qua propter vomitus continuo fere aegrum infeſtat, omnia remedia interna *contra indicat,* ipſa inuoluentia eludit.

At certe ſi aeger euadet, poſtea nullis anthelminticis opus erit, quod taenia ipſa huic febri cedere coacta ſit, inſenſibilique modo repetitis vicibus euerratur.

Si *ſcorbuto inueterato* laborantibus haec febris ſuperuenit, iisdem mortifera eſſe ſolet. Vires langueſcunt, ſpaſmi abdomen vexant, meteoriſmus ſuboritur, poſtremum ad ſummum gradum reſoluti humores per omnia organa excretoria elabuntur. Huc pertinent praecipue diarrhoea et ſudor colliquatiuus, ſaepe et haemorrhagiae ex gingiuis faucibus cadaueroſis et nari-

naribus, raro ex aliis locis, v. g. ex pulmonibus, ecchymoſes dolorificae ſanguinolentae pedum, abiturae, ſi aeger euadet; in vlcera putrida aegerrime ſananda, oppreſſio pectoris, vox rauca, debilis, tuſſis, qua lentor putris, niger, ſubſanguinolentus quaſi toſtus, deficientibus viribus quam aegerrime eiicitur. Dolendum ſane eſt, quod omnia omnino artis adminicula in hoc ancipiti malo incaſſum adhibeantur, de quibus infra pluribus.

§. 6.

DE CONTAGIO FEBRILI.

Contagioſam hanc febrem eſſe, eo maxime liquet, quod aegrorum miniſtrae ea ſaepe corripiantur, quibus ſtatim ab initio ingens leuamen vomitorio conciliabam, non vero eodem febrem prorſus cauere vel tollere poteram. Eam tamen ſumma anxietate, inquiete et delirio ſtipatam, ſudore profuſo vnius tantum noctis, aliquoties plane diſcuſſam vidi, nec in hoc caſu, quod credi poterat, a contagio contracta erat. Primae viae autem et poſt ſudorem impurae exiſtebant, ſic vt euacuantibus opus eſſet.

§. 7.

STADIVM TERTIVM. SEQVELAE HVIVS FEBRIS.

Multi ſoli naturae commiſſi vel male tractati aegri ſphacelo digitorum pedis vel et huius ipſius vtroque crure mutilantur; praeprimis id de agriculis valet, qui per totum morbum ocreati decumbere ſolent.

 Quodſi

Quodſi naturae ſufficiunt vires, ſphacelus, ſuppuratione viuidum ab emortuo ſeparante, ſiſtitur, ſic vt digiti ex articulis, immo totus pes extremus cum parte cruris putreſcendo pereat. Nuperrime nobis quisquam allatus eſt, in quo natura crus media in ſura ita ſeperauerat, vt tantum paullulum carnis (vt truncati cruris vulnus aequale, et facilius ſanandum euaderet) cum neruo iſchiadico, et oſſa abſcindenda ſupereſſent; pes cum crure quaſi retorridus et exſiccatus erat, claro argumento, quanta ſit labes, quae ſi in membrum aliquod deferatur, idem putredine afficiat, morbumque ſoluat. Sed multum abeſt, vt ſphacelus in hac febre ſemper naturae criſis ſit, vt in pluribus mortem iamiam inſtare denotet. Vtrum anceps hoc malum ſalutem an mortem allaturum ſit, facile perſpicitur ex reliquis febrem comitantibus ſymptomatibus; nec niſi natura ipſa vel apta medela interna eidem terminos poſuerit, vllo remedio externo, minime amputatione ſiſtetur.

Idem valet de ſphacelo ad os ſacrum, qui interdum criticus, interdum exitialis eſt. Si vero ſphacelus in alia corporis parte v. g. in facie, in femore aliisque locis oritur, nunquam ſalutem, certo mortem adfert.

Multi quoque poſtremo gangraena inteſtinorum correpti diem ſupremum obeunt, quam meteoriſmus cum ſumma ſpaſtica abdominis affectione indicant. Hoc ſtadium tertium eſt, vt ex dictis patet, verum neruoſum, putridum ac colliquatiuum, ſaepiſſime, at non ſemper, apta medela praecauendum. Pertinent hoc loco quoque metaſtaſes ſymptomaticae ad femur intra faſciam latam delatae, fundentes nunquam verum pus, ſed ſaniem foetidam, putrem, ſubcruentam copioſiſſimam, et qualitate et quantitate teſtem ſummae humorum corruptionis. Iſto malo affecti rariſſime euadunt, quamuis in debito ſitu ichori

via

via effluendi pateat, ac remedia ſupra indicata, nempe quae colliquationi putridae viribusque labefactatis obueniant adhibeantur, ante facta ſcilicet primarum viarum euacuatione; moriuntur tamen plerumque in ſpaſtica quadam totius corporis rigiditate, conuulſionibus tremulis, calore vitali primum in extremitatibus, deinde et in nobilioribus partibus deficiente.

Aliae metaſtaſes ad femur citra faſciam latam prorumpentes, abſceſſus inſtar circumſcripti, verum pus fundentes, non ſymptomaticae, ſed criticae ſunt, febrem ſoluunt, facillime ſanantur.

Id quoque adnotaui, omnes aegros qui in faſtigio huius febris exſtinguuntur, reſpiratione nunquam non difficili laborare, oculis trucibus ſemiclauſis, pupilla dilatata non irritabili, ſumma ſtupiditate ac ſpaſtica abdominis tenſione. Qui vero ex debilitate poſt ſtatum febris moriuntur, hi placide quaſi flamma exſtinguuntur.

Hydrops quicunque, quamuis multoties hanc ſuccedat febrem, tamen euidenter probat, eam vel neglectam vel male tractatam fuiſſe, ſit ceterum hydrops vniuerſalis vel vna ſpecies tantum, id eſt ſolus hydrops pectoris ſeu aſcites, ſiue hydrops ſcroti et oedema pedum. Quo caſu interdum nil niſi debilitas ſupereſſe videbatur, nec vllum latentium ſordium ſignum aderat, tamen et infuſo ſolo corticis peruuiani hydrops augebatur, obtemperabat emeto-catharſi et poſtea diureticis et diaphoreticis datis.

Sola euacuantia per vomitum et aluum in hac febre omnem operam plerumque, ſed non ſemper abſoluunt, interdum ſudor criticus febrem aufert, ſola natura non arte, ob ſaburram in primis viis promouendus. Deliria ſumma, anxietas,

 con-

conuulſiones aliaque mala, quae mortem annunciare videntur, ſudore, ſaepius vero ſedibus putridis auferuntur; vtrumque in me ipſo et multis aliis expertus ſum.

Paralyſes nec non *Hemiplegiae* ſuperueniunt, vtique a ſudore critico ſuppreſſo, obtemperant vtplurimum euacuantibus, poſtea et diaphoreticis cum veſicatoriis; ſi pertinacius reſiſtunt, cura antiparalytica efficacius reſoluentibus inſtituetur. A ſudore ſuppreſſo aeger quandoque ſubito apoplexia ſiue catharrho ſuffocatiuo interficitur, ſi vero materies critica ad viſcus quoddam abdominis defertur, varia ex huius obſtructione chronica mala difficulter ſananda ſuperueniunt.

Tempus certum, quo morbus ad finem vergat, conſtitui nequit, reſpondet vt plurimum medelae ac obedientiae aegri: Iuniores interdum quatuordecim dierum, ſeniores vnius menſis ſpatio ſanari poſſunt, vehemens morbus longius tempus ſaepe poſcit.

§. 8.

PROGNOSIS.

Haec ex ſuperioribus maximam partem liquet, nonnulla tamen addenda.

Aeger, ſi ſtatim, vbi decumbit, in delirio verſatur, morbum grauem fore, notat, etiamſi cetera bona videantur.

Quo robuſtior aeger, eo grauior morbus obtingere ſolet, longaeui perraro euadunt.

Subita ſtatim ſub initio virium proſtratio, deſperatio aegri de ſalute ſua, mortem praeſagiunt.

Cer-

Certiſſima mors eſt, ſi aeger qui antea nullam ſpem habebat, nunc ſe melius habere credit, reſpiratio vero et pulſus contrarium indicant.

Malum ſignum eſt, flocculos legere; aeger hoc in caſu grauitatem morbi non ſentit, et quaſi inſcius ſui ſtupidusque decumbit.

Recidiua plerumque grauior deprehenditur, quam primaria febris.

Malum, ſi halitus et tranſpiratio aegri putridum ſumme nauſeoſum redolent.

Peius adhuc, ſi et anima et perſpiratio halitum acidum quam maxime grauem, nauſeoſumque adinſtar aceti corrupti eructant; vtroque in caſu liquet, ſummam humorum reſolutionem adeſſe, et cautus medicus ſit, neceſſe eſt, ſin minus contagium hic facillime ſuſcipitur; quilibet vero ſubtili odoratu praeditus hoc praecepto non eget, ſua ſponte reclinata facie aegri pulſum et abdomen inquiret.

Malum ſignum reſpiratio difficilis preſſo gradu ingraueſcens, etiam ſi pulſus non pari paſſu a ſuo rythmo decedat. Anceps malum eſt dyſenteria putrida in hac febre, nonnulli tamen euadunt.

Ex ſolo pulſu prognoſin deſumere non licet, neceſſe eſt, cum ceteris ſignis comparetur; quosdam enim ſanaui, quorum pulſus nec in carpo nec in cubito percipiendus, extremitatesque iam gelidae erant.

Pulſus inſtar chordae durus, ſpaſticus, quaſi in ſemet retracta arteria, nec non pulſus ſumme debilis in viris longe plus periculi ominatur, quam in foeminis.

Anceps

Anceps eſt, ſi aeger cum ſumma ſanguinis ad caput congeſtione, oculis trucibus quaſi ſubinflammata albuginea in ſumma ſtupiditate decumbit, nec niſi id malum mox euacuantibus cedat, vlla ſalus ſperanda.

Morbus adſpectu vehemens certius ſanatur, quam ſpecie mitis, qui reapſe grauior eſt, ac vires fractas eſſe teſtatur.

Viri periculoſius ac frequentius in hanc febrem incidunt quam foeminae. Nam omni fere tempore apud nos ad ſexaginta, quin plures aegroti virilis ſexus, vix vero decem foeminini decumbunt, cum tamen adhuc alia noſocomia in hac vrbe ſint, in quibus viri tantum recipiuntur, illud autem in quo ego moror, vnicum pauperum vtriusque ſexus refugium ſit, numerumque foeminarum laborantium, miniſtrae aegrorum contagio affectae augeant.

Plura de prognoſi addere, neceſſe non eſt, quilibet enim medicorum, eam non ex vnico ſigno, ſed ex omnibus inuicem comparatis conſtitui debere, non ignorat. Cuique tamen ſuadeo, in huius febris praeſagio quam maxime cautum eſſe; quandoquidem morbus initio minime grauis videtur, tamen omnem artem interdum eludit, et vice verſa grauiſſimus facile ſanatur; id quod nonnunquam a vitiis in regimine et diaeta clanculum commiſſis euenire, quae non in alio morbo tam inſigniter nocent, credo.

§. 9.

DIAETA ET REGIMEN.

Si unquam illud Hipocratis edictum verum fuit, nutrientia non aegrum ſed morbum nutrire, certe in hac febre eſt. Beneuolentis naturae praeceptum, quod nauſea excitata abſtinen-

nentiam a cibis ſuadet, ignorantia ac pertinacia aegrorum, peſſime proculcatur. Multi, praeſertim plebs, non in medica arte, ſed in victu ac ſpiritu frumenti, ſalutem cum virium reſtauratione quaerunt, quanquam haud vllus ſit morbus, in quo ars plus praeſtare, ac inobedientia aegris plus nocere poſſit.

Eam ob cauſſam etiam atque etiam omnique tempore iis inculcandum eſt, ne cibi vel potus quidquam clanculum ingerant, de quo medicum non antea certiorem fecerint. Fieri enim nequit, vt primo aditu omnia, quae cum vel ſine noxa aſſumi poſſunt, enarremus, partim quia aegri peruicaces modo id modo illud adpetere ſolent, et quia ſecundum diuerſum morbi ſtadium ac gradum diaeta cum regimine mutari debet.

In noſodochiis quidem, vbi generalis quaedam antifebrilisque diaeta iam inſtituitur, prolixis praeſcriptis non egemus, at in priuata praxi opus illis quam maxime eſt.

In primo et ſecundo ſtadio permittimus iusculum tenue auenaceum, hordeaceum, vel ſi aeger multa pituita iam obrutus eſt, ptyſana orizae optime conuenit, cui pro lubitu ſal culinare adiici poteſt.

Abſtinendum ab omni carne et iuſculis inde paratis, aromate, vino, cereuiſia, ſpirituoſis; omnia enim quae nutriunt, praecipue quae calefaciunt, veneni inſtar nocent. Nec potus ruſſicus, *Kwaſſ* vulgo dictus conuenit, quamuis minime calefaciat, contra refrigeret, euoluit enim multum aëris, ideoque aegrum ventris inflatione turbat, qua ſua ſponte aeger iam vexatur, ac in genere omnia quae flatus eructant, evitanda.

Pomum exſiccatum coctum, pruna, ceraſa, mala, pyra ſimiliaque cum iuſculis inde paratis concedenda, nec non cucumeres arte parati acidi.

Lac eſt interdicendum, nec non emulſiones lacteae vegetabilium, v. g. amygdalarum, cannabis. Si vnquam medicus officioſus indulgens, primis viis nondum ſufficienter euacuatis diaetam lacteam concedet, certe rediens morbus et ipſum et aegrum ad poenitentiam erroris commiſſi adiget; repetita obſeruatio me hoc edocuit. Quaeuis enim in primis viis paullulum morantia, colluuie ibi putreſcente inficiuntur, quare et ſaepe panis albus nuperrime coctus nocet, ideoque reconualeſcentibus iuscula e carne vitulina, columbina, gallinacea, agnina, ſiue his deficientibus, e carne bouilla lacte melius conducunt.

Pro potu decocta plus minusue acida, demulcentia, mucilaginoſa, refrigerantia praecipiantur; cui ſcopo decoctum hordei, auenae tenue, vel e pane biſcocto toſto, cum acetoſitate citri, ſale acido tartari eſſentiali, aceto vini, ſiue ſucco oxicocci hic inquilino, optime inſeruiunt. Aegri gratia potus ſaepe mutandus, ſemper idem quamuis optime paratus, iis faſtidium mouet, quod ipſe cum laborabam ſatis ſuperque expertus ſum, ſic vt fere omni biduo aliud decoctum excogitarem. Quod ex pane ſeminigro toſto cum aceto vini et ſaccharo ad gratum vsque ſaporem paratur, omnibus optime placet, eodemque per longum tempus vtuntur.

Aqua Selterana interdum quoque pergratum potus genus eſt; ſerum lactis refrigerat et aluum ſoluit, at ſi tormina adſunt, ea auget; ſi quis illud nimis vehementer appetit, parca copia exhibita periculum faciamus, vtrum conducat nec ne; eadem ratione potum *Kwaſſ* concedere poſſumus.

Radix

Radix altheae, maluae ſimiliaque pro decocto adhiberi poſſunt, quibus pulpa tamarindorum addi poteſt. Nullum ex his emetico ſuperbibi debet, ne poſtea quoque faſtidium aegro moueat; aqua tepida, vel ſolum infuſum quoddam herbae non adſtringentis theiforme vomitorio ſumto ſuperbibatur.

Si poſt febrem ſola debilitas obtinet, id eſt, in ſtadio conualeſcentiae, carne tenera elixa, cum iusculis addito aromate licet veſci, aſt primae viae quam puriſſimae ſint, neceſſe eſt; tunc et vinum egregie conducit, vires reſtaurat, interdum ſpiritus Mindereri et camphorae inſtar ſudorem criticum promouet. Primo caro vitulina, agnina, pulli gallinacei, columbini elixi, deinde et alia paullulum duriora permittuntur, ſemper tamen cauendo, ne modum excedat aeger. Allicit ſaepe intolerabilis eſuries aegros ad iuſto largiorem copiam, dummodo ipſis pro lubitu porrigatur. Diaeta lactea cum oryza eſt praeſtantiſſimum nutriens et admodum gratum, at cum vino non congruit. Quoduis pingue probe euitandum, cuius videlicet digeſtioni ventriculus impar eſt, quare tandem ranceſcendo et putreſcendo morbum denuo inducere valet.

Regimen nec calidum nec frigidum ſit, temperatus calor in genere conducit, quod tranſpiratio in hac febre tam neceſſaria et critica eſt, ſoluit vt plurimum artium dolores, ſi qui poſt euacuatas primas vias remanent, refrigerio deteriores fiunt. Si quando reſoluti humores omnibus excretionibus praeprimis haemorrhagiis colliquėant, tum regimen frigidum conuenit.

Plumaria licet ſubſternere aegris, praeſertim diu decumbentibus, tegumentum autem ſit e lana vel linteo xylino contextum, goſſypio refertum.

Munditiеs multum praeſtat, at tamen turbamus aegros, ſi ſaepe induſia mutamus, ac refrigerium hac occaſione contractum nocet. Hypocauſta praecipue alta ac ſpatioſa eſſe debent, ſaepeque vaporibus aceti vini in calidum ferrum vel ſilicem infuſi repleri, vel ſi mauis, aëre dephlogiſticato.

§. 10.

CVRATIO.

An egomet iuſtam methodum ſecutus fuerim, quilibet adhibendo eam experietur, quapropter ſuperuacuum cenſeo, copiam obſeruationum adducere, quod longe facilius eſt, quam ex iis eruere praecepta.

A) *De venae ſectione in ſebre gaſtrica putrida.*

Eam non niſi rariſſime conuenire, iam ſolum morbi nomen palam facit. Cum vero multi ex noſtratibus et quidem egregii practici initio morbi ſaepe ſanguinem detrahi iubeant, circumſpiciendum erit, quomodo et quando ſanguinis miſſio non noceat, immo interdum leuamen conciliet, ſaltim mentiatur.

a) Febris ſtatim ab ortu cum ſaburra primarum viarum non ſemper, ſaltim non putrida coniuncta eſt, eo minus ſanguis eadem contaminatus eſt, nec id temporis quisquam niſi experientia edoctus ſcire poteſt, quaenam vere febris futura ſit, cum pluries ne vllum quidem ſordium ſublatentium ſignum adſit.

b) Vtique complicatio inflammatoria ſanguinis detractionem principio admittit; ad noſodochium autem aegri periculi ignari in ſtadio prodromorum perraro veniunt, tum demum quando

quando morbus in peius vergit auxilium implorant, ac venae ſectio antea concedenda fuiſſet, nunc certe nocet, quare nos ea rariſſime vtimur.

c) Omnes autem medici, qui cruoris detractionem ſuadent, ſtatim poſt illam praemiſſis lenientibus vomitorium adornant, quo damnum, quod venaeſectio quandoque intulerit, ſtatim inſciis ipſis auertitur. At quaeſo! periculum faciant venae ſectionem inſtituant, omittant emeſin, tunc effectus certius perſpicietur, nam febris putrida ſanguinea orietur.

d) Venae ſectio ſi plethora adeſt, in principio morbi ſordes mobiles reddit, id eſt ex latebris prolicit, linguaque antea pura nunc demum amurca obuoluitur, abdomen repletur, vt attactum repugnet.

e) Omnes qui ſanguinem mittunt, tamen fatentur. id vomitum alleuandi, praeuertendi capitis dolorem et congeſtionem ſanguinis, affectus inflammatorios et quidem principio morbi gratia fieri debere.

Equidem haec falſae *phlogoſeos* ſymptomata, licet adſint, non timeo, minus venae ſectione, ſi non adſunt, praecauere ſtudeo, tum tantum venam incidi iubeo, ſi plethora vera adeſt, ſi ſymptoma inflammatorium recens vrget, et morbus in primo ſtadio adhuc verſatur.

Ac ſi incerti ſumus, verâne ſpuriaue venae ſecandae indicatio adſit, experimentum fieri, et duae vel tres cruoris vnciae detrahi poſſunt, quo facto certe inſpectio ſanguinis, cum euentu ſubſequente indicio erunt, an plus detrahendum ſit nec ne.

Si quando ob dolorem lateris aliudque falſae *phlogoſeos* ſymptoma venam ſecari iuſſi, ſtatim quidem leuamen aliquod percipiebant aegri, at breui illud euanuit, vehementius rediit dolor, emeto-catharſi paullatim at radicitus tollendus.

B) *De Emeticis in febre gaſtrica putrida.*

Haec ſunt remedia primaria, dummodo rite adhibeantur. Principio morbi, vbi lingua ſaepius nondum inquinata apparet, tamèn abdomen plus minusue tenſum reperitur, ac aegri in vniuerſum de pectoris dolore conqueruntur, attactus autem docet, in praecordiis cauſſam doloris eſſe, quae ab aegris pro pectore habentur, ſi lingua multis ſordibus tecta eſt, et aeger inquietus decumbit, ructusque amari bilem in ventriculo ſubeſſe monſtrant, tum ſtatim hauſtum vomitorium multum praeſtat, dolor quiuis inflammatorii inſtar, pleuriticus, anginodes, capitis, multa bile reiecta, mire ſedatur, aeger, qui vehementiſſime delirabat, interdum ſtatim reſipiſcit, pulſus antea contractus, nunc altius euoluitur, redeunt vires, praecordia attactum ferunt, totusque morbus aliam faciem offert. Pro vomitorio equidem Ipecacuanham tartaro emetico antepono, quia rarius ſcopum vomendi purgando fallit, minorique incommodo vomitum citat, ſed cum ea plerumque iam in primo ad ſummum in ſecundo vomitu quamuis in largiori doſi propinata, reiiciatur, eam bis vel ter de die ſummo cum emolumento exhibeo.

Nemo magis nocet, quam qui ſtatim ab initio febrem vehementi purgatione ſuffocare ſtudet, quanquam neceſſe ſit, vt aluus poſt vomitum aliquoties ſoluatur.

At emeſis quantumcunque neceſſaria ſit, tamen ſummam medici cautionem requirit, methodice inſtitui debet, id eſt non

non niſi ante ſacta reſolutione ſordium, ſi impactae et incarceratae ſunt. Si lingua quam maxime conſpurcata, et repleta praecordia eas iam e vaſis effuſas ac mobiles eſſe apparet, tum et ſine praemiſſis lenientibus ſtatim emeſis prodeſt.

Sed haec ſordium mobilium ac ſurſum turgeſcentium ſigna ipſa interdum nos fallunt. Semper recordabor, quam malo cum effectu mihi decumbenti aliisque hyeme anni 1783 emeſis adminiſtrata fuerit: vomitus dolore vehementiſſimo praecordiorum ſtipatus erat, quae poſtea magis adhuc quaſi inflammata dolebant, ſingultus, anxietas oriebatur, reſpiratio ob dolorem ab aegris cohibebatur, et quaſi abrupta erat, cum Hyperemeſi, pulſu ſumme contracto ſpaſtico, ſic vt periculo emeſi allato occurrendum eſſet. Attamen abſtinentia ab internis medicamentis, decocto quodam demulcente, enematibus, cataplaſmatibus emollientibus, praecordiis ad ſedandum dolorem vomitumque impoſitis, illiniendo abdomini oleum camphorae omnes ſeruati fuere. Menſe Ianuarii 1784 hocce morbo ego ipſe correptus, emetico hauſto, mera tantum potulenta nec bilem ſeu aliam ſaburram reieci, vnde equidem emeſin repetere nolui, experientia ſcilicet doctus metui mala, quae mihi poſtea euenere: attamen aliorum ſuaſu compulſus, ſecundum emeticum ſumſi, ſubſequentibus vomitu vehementiſſimo ſumme dolorifico, per 24 horas durante, (quo nil niſi mera epota, quibus impetum et dolorem emeſeos mulcere ſtudebam euomebantur) ſingultu et gaſtritide, quamuis tenſio praecordiorum, ira vehemens praegreſſa, lingua quam copioſiſſima bile obſeſſa, eam apud me in magna quantitate adeſſe monſtrarent.

Optandum eſſet, vt haec ſemper praeuidere medicus certo poſſet, eo magis, cum emeſis princeps remedium in hoc

morbo

morbo ſit; nam omnes citius conualuere, in quibus emeticum ſcopum bilem euacuandi non feſellit, quam ii, in quibus tantum laxantia adornare coacti ſumus, quod ſaepe vires huic euacuationi non pares ſint, citiusque vita exſtinguatur, quam cauſa morbi purgatione tollatur.

Lenientia, quae ſaburram mobilem et euacuationi aptam reddunt ſane non omiſi, nec venae ſectioni, vt facilius emeſis fiat confido, quod potius ſanguis vere quam autumno abundet, opium vero et caſtoreum in hac febre, vbi alui obſtructio peſſima mala producit, huiusque nondum dare auſus ſum. Qua propter emeticum caute vel prorſus non praebendum eſſe experientia conuictus arbitror:

a) Vbi materies biliosa probabiliter iam e ventriculo elapſa, ac natura ſua ſponte diarrhoeam induxit, et aeger inde ſummum leuamen ſentit. Attactus praecordiorum mollium et regionis hypogaſtricae repletae hic ſaepe nos docet ſaburram iam non ventriculo ſed inferius inteſtinis inſidere, quamuis lingua eam monſtret.

b) Vbi dolores et ſpaſmi praecordiorum nimis vehementes pulſu ſpaſtico anguſto ſtipati ſunt, hi ante vomitum cataplaſmate emolliente praecordiis impoſito ſedandi ſunt, quo in caſu inflammatorii quidquam, emetico incaute adhibito facile increſcens ſubeſt, praecipue hyeme.

c) Si ex morbo neglecto iamque longius progreſſo, et ſignis inflammationem ventriculi et inteſtinorum concomitantibus eam iam adeſſe profecto vides, cuius certiſſima indicia ſunt, vomitus ſpontaneus, continuo aegrum vehementiſſimo cum dolore vexans, reſpiratio dolorifica, quaſi interrupta ſpaſtica cohibita, cum pulſu paruo celeri duro. At haec interdum plus

plus minusue deſiderantur, et tamen inflammatio ſubeſt, tenſio verum praecordiorum et ventris attactu magis dolentium adeſt, quae niſi illitui olei camphorae vel cataplaſmati emollienti cedunt, ab emeſi caueas. Vbi autem plenitudo praecordiorum ſpaſticorum ab amurca biliofa orta adeſt, ſtatim a vomitu, multa bile reiecta melius ſe habent, dolor minuitur, pulſus miro modo eleuatur, quare tunc emeſin bis immo ter intra nychthaemerum et repugnantibus aegris ſumma cum vtilitate reiteraui. Fateor certe, haec difficilius deſcribi, quam ad lectulos aegrorum diſtingui poſſe, vbi vt plurimum praeſagio, an noxam vel ſalutem emeſis effectura ſit.

d) Ex effectu vomitum ſubſequente optime intelliges, vtrum reiteranda ſit nec ne, medicina emetica. Scilicet ſi nihil niſi mera potulenta aeger euomuit, dolor et tenſio praecordiorum grauior facta eſt, hic et propoſiti tenax ab vlteriori emeſi abhorrebit, viamque, quam natura oſtendet, euacuationem per aluum ingredietur.

e) Hyeme praeſertim vomitoria caute propinanda eſſe, ex ſupra annotatis patet.

f) Nocent ſemper emetica conſpicuo modo in plethora vera.

g) Nocent et plerumque, ſi morbus iam per aliquot tempus ſaeuiit.

h) Raro conducit emeſis, niſi praemiſſis lenientibus reſoluentibus, quae ſordes ex latebris proliciunt. Huic ſcopo ſequens connubium optime inſeruit, quod ex infinita obſeruatione noui, vt eodem carere nollem.

 ℞. tar-

℞. tartari tartariſ. ℥ß.
Rhei opt. ʒj.
Tart. emet. gr. v.
Miſc. exact. diuid. in x partes aequal., detur ter vel quater de die pars j ſiue huius loco

℞. Tart tartariſat.
Extr. taraxaci ana vnc. j.
Tart. emet. gr. jv.
ſolue in
▽ae com. deſt. vnc. jv. adde
Syrupi de althea ℥j. D. ſ.
Omni hora Cochl. j.

Si dimidia pars vnius vel alterius formulae aſſumta fuit, tum ad veſperam vel poſtero mane emeticum conuenit, a quo denuo haec lenientia capi debent, vt emeſis poſtea, quoties indicatur, rurſus inſtitui poſſit. Ab emeſi autem aluus aliquoties ſoluatur neceſſe eſt, quod plerumque ſua ſponte vel hac medecina fit, ſin minus enemate id obtinendum.

Saepius haec lenientia per ſe totum morbum ſine emeticis mite aluum purgando auerruncant; aliquando autem minus bene aluum ſoluunt, quaſi omnis eorum vis ad ſordes mobiles reddendas conſumatur, et tunc ſola ſine emetico et poſtea purgantibus non ſufficiunt.

D) *De Purgantibus in febre gaſtrica bilioſo-putrida.*

Eam ſola catharſi interdum prorſus ſanari poſſe non inficior, et huic ſoli inſiſtere hyeme 1783 anni ſaepe coactus fui. Catharſi certe nunquam, emeſi quandoque ſuperſedere poſſumus; at tamen haec citiorem et certiorem medelam praeſtat, quapro-

pter

pter in morbo grauiori priores partes ipſi tribuendae. Purgantia vero ſtatim ab initio incaute adhibita peſſima remedia ſunt, praeſertim draſtica, vel et ſalia media largiter data; inprimis ea, quae fluidum tantum potentiſſimum ad reſoluendam et eliminandam materiam corruptam menſtruum euacuant. Huc pertinet ſal anglicum et quaeuis citiſſime purgantia, quae quaſi inteſtinis ſubterfluunt, nec ſordes e fontibus eliminant. Febrem quidem mitigare videntur, at re ipſa eam exitialem reddunt. Eſt enim febris efficaciſſimum ſordium reſoluens, et inſtrumentum a natura certe non incaſſum adhibitum, quod ſaburram euacuationi aptam reddit, quare minime purgantibus ſufflaminari debet.

Ipſe cremor tartari, licet in hac febre multum praeſtet, tamen abuſu et malo connubio praecipue cum nitro heic nocet. Nitrum enim frangit et elaterem et vim nerueam ſolidorum, hic prae omnibus aliis neceſſariam, et ſua ſponte iam deficientem; interim plurimi tamen nitro non abſtinent, numne ob errorem in diagnoſi morbi? quae tamen ex conſtitutione aegri et epidemiae erui poſſit, an quod credant, nitrum quod primarium ſpiſſitudinis inflammatorii reſoluens eſt, idem et materiae febrilis slioſae eſſe? ſiue forſan quod in rheumatiſmis inflammatoriis conducat, et haec febris ſemper doloribus et muſculorum et articulorum ſtipata ſit? Verum enimuero vtcunque haec ſe habeant, nitrum in hac febre ſemper nocere, bonos aliorum medicaminum effectus minuere, et ratio et experientia docent.

Doleo certe, me aliquando impedire non potuiſſe, quo minus quisquam mihi amicus nitro iugulatus fuerit, quamuis ipſi cremor tartari additus fuerit. Febris quidem ſtatim mitigata videbatur, pulſus vero poſtea deficiens et debilitas con-

 trarium

trarium teſtabantur, quapropter, china cum vino rhenano frigide infuſa largis doſibus propinata pulſum miro modo efferebat, ſudorem promouebat, et ex periculo aegrum eripere videbatur, lingua vero nunc demum maxime ſordibus inquinata, fuſca, nigra, aphthae in ore, abdomen ſpaſtice tenſum, inflatum, flatus et ſeceſſus foetidi, veram morbi indolem, ac reſpiratio ſuppreſſa malos corticis peruuiani effectus oſtendebant.

Vtique iam nimis ſero indicatio euacuationis proſequebantur, ſi vero in vllo remedio ſalus, certe haec in moſcho et ſerpentaria quaerenda fuiſſet.

Cortex peruuianus autem, quanta mala, primis viis impuris, inducat, nemo ignorat, certe huic aegro catarrhum ſuffocatiuum conciliauit, quem certiſſime ad perfectam ſanitatem reduxiſſem, ſi mihi ſtatim concreditus fuiſſet. Sunt, qui credunt, chinam generale remedium ac ſine vlla indicatione in quauis debilitate exhibendam eſſe, at ſi optimis remediis ſine ratione vtamur, eadem in venenum mutabimus Quid, quaeſo, china, primis viis ſaburra putrida repletis, conducet, qua ratione vires reſtaurabit, nonne potius ſomitem morbi firmius impinget, adque alia viſcera nobiliora propellet?

Etſi quandoque aegri aetas efficaxque natura malam methodum eludat, vt non obſtante chinae abuſu vita ſeruetur, tamen in poſterum omnia mala chronica ex obſtructione viſcerum oriunda ſequentur, ac eiusmodi aeger reſtitutus miſeram morte peiorem vitam viuet. Sexcenties iam conuictus fui quantum china, vbi tubus cibarius illuuie redundat, noceat; ſiſtendo ſalutares alui excretiones mox congeſtiones inducit, febrem auget, hydropem cuiusuis ſpeciei immo vniuerſalem inducit, denique ſummam pectoris anxietatem, reſpirationemque

que vſque ad ſuffocationem adgrauat, quae omnia abuſu chinae continuato deteriora fiunt, abſtinentia autem ab ea, aliisque rite indicatis remediis funditus ſanantur.

Quid? quod contendam, quinquinam ne reconualeſcentibus quidem ab hac febre adeo neceſſariam eſſe, vt ſine ea priſtinum robur adipiſci nequeant. Multi enim, quanquam ſceleti inſtar emaciati eſſent, viresque adeo deficerent, vt nequidem ſitum in lecto erectum ſedendo ſuſtinerent, tamen ſine china nutrientibus refecti, et poſtea meliore ſanitate quam ante febrem gauiſi ſunt, ſic vt miratus fuerim; nam multa mala chronica, quae aegrum ante febrem vexabant, eadem ſanata ſunt, v. g. obſtructiones glandularum et viſcerum hypochondriacorum, ſcabies, rheumatiſmi inueterati, ſimiliaque ſaltim per aliquod tempus poſt febrem euanuerunt.

Nunc filum reſumo, ne quis credat me cremorem tartari praeſtans in hoc morbo remedium ſpernere, qui ſolus vtique non ſufficit, quanquam aluum ſoluat et putredini obueniat, tamen ſordes, quae ſaepiſſime impactae ſunt, non ex fontibus eliminat, et per ſe iuſto mitius purgat, quare optime cum rheo coniungitur.

Si abdomen inferius ſordibus repletum cauſſam ſpuriae debilitatis non iam in ventriculo, ſed in inteſtinis haerere monſtrabat, vix alius quam experientia edoctus credere audebit, quantum vires reſtauret haec miſcela.

Hoc quidem loco de ſic dicta immobilitate ſordium aliquid dicere lubet. Quilibet medicus aegros per omnia morbi ſtadia attentus obſeruans, initio linguam ſaepe puram inueniet, vel ſi obducta eſt, ſordes vt plurimum firmiſſime quaſi illi adhaerentes, ſic vt digito abradi non poſſint, abdomen quoque

 non

non ita tenſum ac tumidum. Febris initio mitis quoque videtur, ſponte vero, praeprimis ſub vſu reſoluentium exardeſcit. Ipſa febris eſt efficaciſſimum naturae inſtrumentum, ad ſordes e vaſis in canalem cibarium eliminandas, omnia ſic dicta lenientia ſunt febri omnino inferiora ac prorſus non comparanda, quare nunquam febris venae ſectione vel purgatione fruſtranea ſtatim ſuffocari debet. Hanc ob rationem tempus euacuandi per vomitum ac aluum maxime commodum eſt, vbi aeger iam per aliquot dies febre laborauit, vbi ex ſumma inquiete, quae ſemper cum turgeſcentia ſaburrae pari paſſu ingraueſcit, eam mobilem et euacuationi aptam eſſe, intelligimus. Hoc tempore ſemper ad aegros accerſeri vellem, ſcilicet ſi non antea futili farragine medicaminum praeſertim fruſtranea et praecoci purgatione debilitati et exinaniti, potius autem ſoli naturae commiſſi fuerint. Nauſea, vomituritio ac praecordia plena, ſunt primaria ſigna indicatae per emeſin euacuationis, ſi vero haec deſunt et borborygmi, torminaque, diarrhoéam naturam moliri indicant, tum conueniunt enemata et laxatiua mitiora, minime draſtica.

E) *Enemata* omni morbi tempore ingentem vtilitatem in hac febre adferunt; haec ſola, vbi omnia remedia interna ob gaſtritidem vel enteritidem interdicuntur, aegrum ad ſanitatem perducere ſaepe valent. Porro conueniunt, vbi vires deficientes euacuationes quamuis ſumme neceſſarias non admittunt, quod morbus iam longius proceſſit, et ſaburra vires proſternens, iam altius ad inteſtina progreſſa, ideoque nunc emetico expelli nequit. Quo in caſu vidi aliquando non praecordia, ſed abdomen, plerumque tamen vtraque inflata, repleta, dolentiaque, aegros inſcios, aluum cum lotio inuitos emittentes, ad emeticum nullam indicationem, quanquam lingua impura, ſicca

vero

vero eſſet nigraque, pulſus ne in cubito quidem percipiendus, extremitates gelidae, pallor mortis ſubflauus in facie, cutis ſicca, imperſpirabilis, aſpera, ac ſi quando perſpirabat, id putridum redolebat, reſpiratio quam maxime difficilis.

Hunc ſtatum mox exitialem reddes, ſi chinam largis doſibus propinaueris, vel ſi cauſſam morbi laxantibus antiſepticis tantum proſequuturus fueris. Hic iuxta enemata copioſa indicatio vitalis valet, ac eiusmodi remedia adhibenda

α) quae vires proſtratas ſubleuant ac refocillant.

β) Quae omnes excretiones praeſertim aluinam non ſiſtunt, ſed promouent, quod praeprimis

F) *remedia cardiaca alterantia efficiunt.*

I. Kermes minerale praeſtat, quo in praxi egere nollem, eſt et magnum virium incitamentum, indicatur praecipue

a) ſi euacuatio aluina licet ſumme neceſſaria, tamen viribus proſtratis contraindicatur.

b) Si oppreſſio pectoris adeſt; nam eius vis alterans expectorationem neceſſariam promouet, quin ſine conſpicua expectoratione reſpirationem, primarium in hoc morbo prognoſticon faciliorem reddit, plerumque tamen aluum frequentiorem ſalutarem ſine virium detrimento mouet. Eſt remedium heroicum, ideoque exigit ſummam medici attentionem. A diarrhoea quandoque interdici videbatur, quapropter ad virium conſeruationem china cum ſerpentaria ac vino propinabatur, aſt reſpiratio anxia morbusque vniuerſum in peius ruens cortice peruuiano ſepoſito ad parcas Kermes mineralis doſes mitior euaſit.

℞. Ker-

℞. Kermes mineralis gr. jj ad jjj.
Camphorae gr. jjj.
Conch. ppt. gr. x-xjj.
MD. Doſes vjjj detur bis vel quater de die No. j.
Camphora additur, quo citius Kermes operam, quam inde ſperamus, edat, conchae autem ne vomitum conciliet.

Hoc connubium in hac febre egregii vſus eſt, eam incantamenti inſtar interdum diſcutit, ac ſi nobis vera alexipharma ſunt, hoc connubium certe eſt, promouet quoque optimo euentu cutis excretionem. Hinc formulae adde moſchi opt. gr. IV ad VI vbi ingens virium proſtratio eſt.

II. Moſchus eſt efficaciſſimum refocillans, omnibus aliis vbi vires deficiunt ſuperius, quamuis alui euacuatio nondum abſoluta ſit.

Pulſum cum calore vitali interdum de nouo reconciliat, pallorem mortis icteritium in facie in colorem roſeum mutat, ac praeſtans antiſepticum eſt. Certe egregii eius effectus me ſtatim ſumme attentum reddiderunt, quo melius repetitis obſeruationibus omnes eius virtutes medicas bene perſpectas haberem, et fateor, me hucusque nullas fere contraindicationes, quae illius vetant vſum ſcire. Miror multos egregios practicos ac nuperrime illuſtrem *Selle* in medicina clinica ſcripſiſſe, ſe celebratos moſchi effectus non vidiſſe; neſcio vtrumne moſchus alibi fraude corruptus fuerit, an ob magnum pretium nimis parcae doſes dentur?

Qua ratione verum moſchus antiſepticum ſit, explicare non audeo, certe eſſe ſcio. Dixi enim in prognoſi de exhalationibus putridis et acidis, corruptis, ſumme periculoſis, quas vbi

vbi obſeruaui, ſemper et pulſus ſumme debilis ſpaſticus erat, moſchus hic non ſolum pulſum cum viribus miro modo excitavit, ſed et has exhalationes praeſtigii inſtar intra nychthaemeron ſuſtulit, neſcio an corrigendo vel excernendo putridum. Vbi moſchus nihil valet, ibi certe nulla ſpes reſtat. Saepe reſtaurat vires, vt poſtea euacuationem aluinam ſine periculo perferre valeant. Vt magis autem de virtute moſchi antiſeptica conuictus forem, equidem duobus ſcorbuticis hac febre correptis repetita vice vni moſchum alteri vero ſerpentariam cum acidis dabam, et quamuis putredo in illo, cui moſchum praecipiebam iam maiores progreſſus fecerat, tamen in altero, qui moſchum non ſumebat putredo poſtea magis ingraueſcens foetore ſummo ſe manifeſtabat, quare ob ſecuritatem et medentis et adſtantium moſchum ſummae vtilitatis remedium cenſeo, quo contagium interdum praecaueri poteſt.

Ceterum in multis morbis chronicis ex viribus labefactatis ortis, mira moſchus praeſtat, vt in febre neruoſa lenta, inprimis ea, quae enormem ab vſu mercurii ſaliuationem ſequitur. Denique virtutes medicae eiusdem in morbis neruorum conuulſiuis, hyſtericis, epilepticis ſimilibusque ſatis notae ſunt, ac moſchum magis adhuc praeſtiturum eſſe credo, ſi pro re nata doſi ſat magna exhiberetur.

III. Serpentariae virginianae radix quoque egregii vſus in hac febre eſt, moſcho ſumme analogis at minoribus virtutibus gaudet. Eſt efficax antiſepticum, promouet quoque omnes excretiones praeprimis cutaneam, et certe tantum abeſt, vt ſiſtat euacuationem aluinam, quin potius largius aſſumpta eam promoueat. Conuenit praecipue vbi vires deficiunt, et vt breuiter dicam, in omni caſu, vbi moſchum proficere dixi, id eſt, vbi et euacuatio aluina et ſudor criticus promouendus, nec non vires reſocillandae ſunt.

IV. Cam-

IV. Camphora edit validos ſed breui euanidos effectus, quapropter optime ſuperioribus adiungitur.

V. Vinum vetus rhenanum vel album gallicum praeſtat, vbi vires deficiunt; poteſt dari, licet euacuatio per aluum adhucdum requiratur. Vinum rubrum pontac dictum ob adſtringens, quod ipſi ineſt, principium, minus placet.

VI. Epiſpaſtica ac veſicatoria ſenſibilioribus locis adpoſita omnino non contemnenda. Fides in ipſis ſolis non ponenda, ſed tantum pro adminiculo habenda ſunt. Ceterum ſaepe refocillant vires conſpicuo modo, ſedant deliria, ſed ſaepe eorum effectus inconſtans eſt ac incertus; nam vbi ſuſpicio inflammationis in abdominis viſcere quodam aderat, interdum luamen interdum noxam adferebant. Et praeſtabant ſemper cataplaſmata emollientia praecordiis vel parti dolenti calide in poſita, nec non illitum oleum camphorae vel linimentum volatile.

VII. Acida mineralia in colliquatione humorum ita celebrata, ſpem, quam in ipſis poſueram, fere omnem fruſtrata ſunt.

1) Siſtunt acida mineralia tranſpirationem tam neceſſariam.

2) Continent interdum aluum, interdum profuſe ſoluunt.

3) Tuſſim et reſpirationem grauant, quae iam aegrum iuſto plus affligunt.

4) Vires potius ſupprimere videntur.

Haec obiter dixerim, repetita obſeruatione de contrario conuinci cupio.

VIII. Acida vegetabilia vero egregii vſus ſunt, omniaque decocta copioſe ingrediantur neceſſe eſt.

IX. China eſt certe egregium remedium, ſi eo vsque peruentum eſt, vt primae viae quam puriſſimae ſint, ſed tunc et ſine ea aegri reconualeſcent, et priſtinum robur recuperant; ſola enim nutrientia omne opus abſoluunt.

Quan-

Quandoquidem vero innumerabilibus obſeruationibus eius virtutes medicas comprobatas ſcimus, eam ſi libet, ac ſi vires non ſtatim redeunt, conducere non nego. Optime datur in connubio alicuius volatilioris refocillantisque cardiaci, quod bonos chinae effectus acceleret; cui ſcopo, radix ſerpentariae virginianae, vinum rhenanum, vel et vetus gallicum inſeruit. Largiſſimae chinae doſes per ſe minus praeſtant quam parciores cum ſerpentaria.

℞. pulv. Cort peruv. ſubtiliſſ. ʒß
rad. ſerp. virg. ℈ß-j
M. D. quater et ſaepius de die.

X. Spiritus mindereri inſigni modo prodeſt, vbi poſt febrem et ſufficientes primarum viarum euocuationes varia incommoda praeſertim tinnitus aurium, ſurditas, dolor capitis, articulorum ac alia multiuaria remanent. Plerumque excernit aucta tranſpiratione cutanea, quod de ſaburra ad ſecundas vias tranſiit, vbi autem haec ex primis viis nondum plane eliminata eſt, hic febrem auget; quare nec ad varia exanthemata, quae inter febrem prorumpunt, promouenda adhiberi debet, hic euacuationes praeſtant per aluum.

§. 11.

VARIA SYMPTOMATA.

A) *De diarrhoea et dyſenteria.*

Probe hic attendendum, ne haec ſalutaria naturae molimina praecoci modo ſiſtamus, dummodo vires iis ferendis vllo modo pares ſint. Hae vero ſi deficiunt corpusque emaciatum ſtatum periculoſum indicat, tunc ipecacuanha in parca doſi, ſcopo antiſpaſmodico, vt motus periſtalticus ſurſum derivetur, conuenit, interdum et vomitus enormem diarrhoeam cohibet, perraro autem et fere nunquam adſtringentibus vel opiatis, v. g. theriaca ſimilibusque ſiſti debet; nam ſuppreſſionem

nem eius mors cito pede plerumque ſequitur. Inuoluentia mucilaginoſa vero egregie conducunt, vtpote decoctum altheae, gummi arabici, vel ex hordeo perlato ſpiſſius paratum. Kermes minerale ſaepe diarrhoeae terminum ponit eliminando ipſius cauſſam per aluum, praeprimis vbi abdomen tenſum ac repletum eſt, ac aeger morbum neglexit, vt inde et ex habitu corporis concludere poſſimus, vires non adeo deficere vt ſaepe videtur, ſed tantum a ſaburra putrida ſuppreſſas eſſe.

℞. pulv. rad. ipecac. gr. ß-j
— — rhei gr. jjj-v
— gummi arab. gr. xjj
— olei adde nucis moſchat gutt. jj

fiat pulv. diſp. doſ. vjjj. Detur quater de die puluis vnus. Si libet, abſorbens aliquod addi poteſt, vel et cinamomum aliudque aromaticum.

Haec vbi non ſufficiunt, moſchus, interdum et ſerpentaria in parca doſi addita conuenit.

Haec omnia ſi fallunt, diuerſis vicibus mox adſtringentia, electuarium diaſcordii, theriaca, china, vinum rubrum pontac, mox rurſus ſi vires vllo modo permittunt mite laxantia adhibentur, ſed mors plerumque citius huic ſcenae terminum ponit.

Clyſmata licet diarrhoea adſit, tamen ob ſpaſmos abdominis, tormina ac teneſmos ſumme neceſſaria ſunt, gaudent ingenti vi ſedatiua et antiſpaſtica, in genere aeger iisdem carere debet nunquam, eliminant magnam ſaburrae putridae flatuumque copiam.

Malum deſperatum eſſe ſolet, vbi clyſmata ob ſpaſmum inteſtini recti vel prorſus iniici nequeunt, vel ſtatim poſt erumpunt; quo longius ab aegro retineri poſſunt, eo plus opis adferunt. Vnicum vero clyſma per diem raro ſufficit, interdum

dum quatuor immo octo requiruntur, inprimis vbi ingens ſaburrae copia abdomen replet, et ob fractas vires non laxantia ſed cardiaca dari poſſunt.

Vbi flatus abdomen quam maxime expandunt, quod termino artis meteoriſmum dicimus, applicetur per inteſtinum rectum tubulus, dum abdomen quantum perferre aeger poteſt manu perfricatur, quo facto ingens flatuum foetentium copia erumpere ſolet, enema dein, magnam foecum putrium quantitatem ſummo cum leuamine ſecum ferre ſolet.

Enema ſecundum indicationes mox paullulum irritans, quo efficacius aluum ſoluat, mox mere inuoluens et antiſpaſmodicum ſit, vt tormina et ſpaſmos muſculorum abdominis ſedet.

B) *De doloribus muſculorum.*

Hi praeprimis articulos extremitatum infeſtant. Supra iam dixi, eos ſpecialia antirheumatica requirere nunquam, nam obediunt ſurſum et deorſum purgantibus. Febre ingraveſcente deteriores fiunt, vtique ſi methodus euacuans negligitur, et diaphoretica adhibentur.

Vbi vero poſt febrem remanent ſpiritui mindereri interne ac linimento volatili externe adhibito obtemperant. Si quando tamen pertinacius reſiſtunt, (id perraro euenit) vt rheumatiſmus vel arthritis inueterata tractantur.

C) *Parotides frequenter obueniunt in hac febre, nec id ſemper vitio curationis.*

Initio, vbi ſumme dolorificae ſunt, cataplaſma Goulardi conuenit, poſtea vero vlteriorem diſcuſſionem nihil certius quam emplaſtrum de meliloto cum camphora abſoluit, quod ſtatim adplicari iubeo, vbi dolor inflammatorius non ita vehemens eſt. Aliquoties hicce tumor redire poteſt, ſed eodem emplaſtro de nouo impoſito certe euaneſcit.

Cura verum interna plurimum ad parotides reſoluendas confert. In hac febre ſemper ſine noxa reſolui poſſunt, quamuis alii autores de periculo retrogreſſarum parotidum

F dicant.

dicant, nec eas ſi libet ad ſuppurationem redigere valemus, quamquam calidiſſima maturantia ipſaque veſicatoria ipſis imponamus. Reſtant mihi quidem adhuc multa de hac febre dicenda, quae, ſi hicce labor operae pretium mereri videbitur, in poſterum addam, nunc iam, ne nimis longus ſim, finem impono.

§. 12.

ADDITAMENTVM.

Venia, celebris inter noſtrates chirurgiae et artis obſtetriciae magiſtri, ac medicinae practici egregii, Conſiliarii aulici Ill. Haman ipſius methodum in huius febris curatione deſcribo, quod ſciam, illam tam egregie ſuccedere, vt per tot annos, quibus artem medicam hic exercuit, duo tantum, qui ſtatim ab initio eius operam implorauere, ſuccubuerint.

Initio, vbi pulſus plenus plethoram indicat, cruoris ſecundum aegri habitum vncias octo ad decem detrahi iubet. Statim a venaeſectione ſi de nauſea et amaritie aeger conqueritur, vomitorium exhibet, quod poſt venae ſectionem facilius ac mitius plerumque vomunt.

Ante emeticum vero aluum a flatibus et excrementis enemate exonerat.

Raro emeſin iterat, ſed ſi nauſea continuat, nec nimia ſaburrae copia adeſſe videtur, mixturam Riuerii ſcopo reſoluendi et aluum ſoluendi praecipit, et per biduum praeſertim hyeme continuat, donec lingua ſqualida cum nauſea ſordium copiam adeſſe monſtrant.

Aeſtate vero vbi maior indicatio ad tranſpirationem mouendam adeſt, ac dolores artium ſuperueniunt, quod aliquot diebus ab initio febris fere ſemper obtingit, loco antiſeptici et diapnoici praecipit ſpiritum Mindereri.

Poſt vſum ſpiritus Mindereri plerumque ſputum euenit, quod prodromus alius criſeos per ſudorem eſſe ſolet, quo orto maxima ſpes eſt, aegrum euaſurum.

Praeter

Praeter haec et aeſtate et hyeme adornat ſemper ſequentem mixturam ſcopo purgandi.

℞. pulv. rhei electi ſcrup. jv
ſalis abſinthii gr. xx
ſucci citri recentis vnc. ß
aquae chamom. vnc. j
ſyrupi de cichor. c. Rheo vnc. j miſc. diuid. in 2 p. ae.

Pars vna ad noctem, ac niſi aluus ſufficienter inde ſoluta fuerit, pars altera ſequente mane aſſumatur. Si ſordes copioſae eaedemque immobiles adſunt gr. j tartari emetici ſcopo reſoluendi addit.

Pro potu ordinario decoctum hordei tenuiſſimum vel aqua communis inſeruit, quibus additur ſpiritus vitrioli; huius loco elaeo ſaccharum citri ad gratum ſaporem addi poteſt.

Potus ruſſicus *Kisli tſchi* adpellatus, ab omnibus fere aegris appetitur, e farina paratur et fermentatione ſubacidus fit. Concedere ipſum licet ſed ſi ſpiſſior eſt, aqua diluatur. Praeter hos potus aeger pro lubitu infuſum theiforme ex floribus ſambuci cum ſucco citri ſumere poteſt. Si cutis ſicca aſperaque eſt, totum corpus cum aceti vini optimi et aquae feruentis partibus aequalibus calide fricari iubet.

Vbi poſt euacuantia pulſus et cetera ſigna debilitatem indicant, ad humeros vel ad ſuras epiſpaſtica, ac niſi haec ſufficiant veſicatoria poni iubet.

Vbi autem pulſus plenus, oculi rubore ſuffuſi ſunt, delirium vel ſtupor ſuperuenit, quae omnia cerebrum laborare indicant, adplicat infra vtramque aurem circa ſedem venae iugularis tres vel quinque hirudines prouario corporis habitu nec ſanguinem poſtea ſiſti iubet, ſed fluere ſinit vsque dum ſua ſponte ceſſat, niſi ſymptomata a nimia ſanguinis iactura oriunda. v. g. debilitas, deliquium animi aliaque ſuperueniant.

Si dolo rcapitis vehemens vrget ſequear exhibet:

℞. aceti

℞. aceti vini ſiue et aceti cereuiſiae ℔ij
Camphor. in ſpirit. vin. gall. q. ſ. ſolut. ʒj
m. ſ. linteamina quadruplicata, quoties ſicca fiunt, toties de nouo immergantur, capiti adplicanda.

Ad ſedandos ſpaſmos abdominales, inprimis ſi muſculi abdominis contracti tabulae duritiem aemulantur, praecipit
lactis recentis ℔jv. diluatur cum ▽ Com. ℔jj.
coqu. cum ſapon. venet. ℥j. ſ.
linteamina quadruplicata immergantur, et calidè, quantum aeger id perferre poteſt, abdomini imponantur.
Inter haec a refrigerio cauendum.

Enemata duo et plura intra nychthaemeron adornat.

Roborantia inprimis infuſum chinae tum adornat, cum aeger ſatis euacuatus in primis viis fuit, febrisque continuat, nec natura quamdam criſin moliri videtur.

Si nimis tarde vocatur, ac iuxta ſaburram ingens debilitas eſt, ſequens commendat:

℞. pulv. cort. peruv. elect. vnc. j
pulv. rad. Rhei ʒjjj, digerere leni igne cum aqua fluv. per bihorium ad colat. vnc. xjj, adde
liq. anod. min. Hoff. ʒj
ſyrup. Cort. Aurantior. vnc. j
ſ. omni quarta hora cochl. duo, vsque ad alui laxitatem, poſtea parcius detur.

Si pulſus vehemens aeſtusque febrilis ingens eſt

℞. nitri depurati
Tart. vitriolati
conchar. pptar. ana dr. jj
antim. diaphoret. non abluti dr. j. Diuid. in ſeptem part. aequal. Detur omni quarta hora no. j. Id pauperibus bene conuenit, aluum ſoluit, et eo ipſo cauſſam morbi proſequitur.